


GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY
VIA VERITAS VITA



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE INTERMITTENTE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES INNES ALLAN MOIR,

Scotus,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS EXTRAORD.

—— Macies et nova febrium
Terris incubuit cohors.

HOR.

IV. Id. Julii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS WALKER.

MDCCCXXVIII.

C

JACOBO HAMILTON, M.D.

ARTIS OBSTETRICÆ

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI ILLUSTRISSIMO,

ARTIS SUÆ FACILE PRINCIPI,

OMNIGENA SCIENTIA LIBERALI INSIGNI ;

MULTIMODA AC MAXIMA BENEFICIA

IN SE SUOSQUE COLLATA

DEBITO OFFICIO PROSEQUENS,

HOCCE, QUALECUNQUE, OPUSCULUM,

ANIMI GRATI

EXIGUUM SED SINCERUM TESTIMONIUM,

D. D. D.QUE

DISCIPULUS OBSERVANTISSIMUS,

J. I. A. MOIR.

PATRI

CARISSIMO,

MAXIMA CUM REVERENTIA,

SUMMOQUE AMORE,

HOC SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

Nam, si verba CICERONIS mutuari liceat, Tu quidem, PATER optime, hunc fructum meorum laborum a me repetere tuo jure debes; nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, et pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, te video mihi principem, et ad suscipiendam, et ad ingrediendam, et ad feliciter persequendam rationem horum studiorum extitisse. Nec ullam aliam mercedem laborum et studiorum mens mea magis desiderat, quam illam tuæ laudis et amoris.

Si neque avaritiam ————————
Objiciet vere quisquam mihi; purus et insons
———————— si vivo et carus amicis;
Causa fuit Pater his. ————————
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat.

HOR. Lib. i. Sat. 6.

From such a mixture sprung this fitful pest,
With feverish blasts subdues the sick'ning land :
Cold tremors come, and mighty love of rest,
Convulsive yawnings, lassitude and pains
That sting the burden'd brows, fatigue the loins,
And rack the joints, and every torpid limb.
Then parching heat succeeds, till parching sweats
O'erflow.

ARMSTRONG *on Health.*

To Dr. Thomson

with the respectful Compts

of his Pupil the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

Ex longa atque dira serie morborum qua corpus humanum afficitur, febres multo frequentissimæ maximeque lethiferæ sunt. Itaque Philosophi, Medicique, primis ab temporibus, huic generi morbi operam dederunt; et phænomena ejus, causas, medendique rationem maxima cura investigaverunt. Sed quanquam homines summi ingenii multum studii huc contulerunt, nemo denegare potest quin plurimum adhuc penitus tenebris lateat. Profecto aliquid novi, aut parum cognitum in re tam difficili a me sperare nihil stultius esset; tamen cogni-

tionem nostram et opiniones in hac re breviter exponere summa ope niti decet.

Febres divisæ sunt uti phænomena in singulis sese ostendunt. Cum paroxysmus febris et intermissio, vel apyrexia, vicissim ægrum excruciant, tum morbus Febris Intermittens appellatus est; atque de hoc genere febris nunc solum dicendum.

Hunc morbum celeberrimus Doctor CULLEN ita definivit: "Febres, miasmate paludum ortæ, paroxysmis pluribus, apyrexia, saltem remissione evidente interposita, cum exacerbatione notabili, et plerumque cum horrore redeuntibus, constantes: Paroxysmo quovis die unico tantum." Ab hac definitione quidam dissentiunt, et auctorem vehementer errare putant. Primo, quod morbus totus uni excitanti causæ tribuitur; dehinc, quod febres remittentes sub eodem capite falso ponuntur. An hic vir magnus, errore deceptus, unicam causam narrat, postea dicemus. At parte in altera, credo, haud multum a vero erravit, et multi eandem sententiam semper habuere.

Intermittentes in certa genera divisæ sunt, omnia quæ a temporis intervallo nomina acceperunt. Quo-

tidiana, Tertiana et Quartana bene omnibus notæ. Hæ quoque in duplices triplicesve, ex vario paroxysmi recursu, aut aliis causis, et etiam in vernales ac autumnales, subdivisæ sunt. Ex his quidem Tertianæ vere novo sæpissime occurrunt. Febris Intermittentis paroxysmum ac statum ægroti Doctor CULLEN optime accurateque depinxit, itaque huic parti ejus operum lectores ultro referimus.

DIAGNOSIS.

IN hac insula, talibusque regionibus ejusdem temperiei, diagnosis satis apparet; at in calidis terris, ubi Febris magis Remittens quam Intermittens, non tam facile dignoscitur; præsertim a Febre Flava, quæ, antequam color cutis flavus sese ostendit, vix ab Intermittente, potiusve Remittente, distingui potest. Et multi quidem medici eas inter sese vi ac violentia præcipue differre credunt, et nos in eadem sententia sumus.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Quidquid corpus debilitat, macieque afficit, veluti fatigatio, parcus cibus, imbresque cum algore sæpe patiens,—hæc omnia, multaque alia, inter causas prædisponentes numerari possunt. Nimiam secretionem ex hepate unam excitantem causam multi putaverunt, at, ni fallor, hic errant : nam si hoc verum esset, aliquis roget, Cur in tali corporis statu æger non Febre Intermittente, tam sæpe ac aliis morbis ex hac causa orientibus, afficitur ? At quum in hac febre magna bilis secretio sæpe in corpore fit, hoc esse inter causas prædisponentes omnes uno ore consentire videntur.

CAUSA PROXIMA.

De hac vel ista mutatione in corpore facta, ex qua signa morbi proxime pendent, addam plura cum modum operandi miasmatis tracto.

CAUSÆ EXCITANTES.

NON dubium quin miasma ex paludibus et humidis stagnis oriens Intermittentium unica vel sola causa excitans sit. Ut alios scriptores omittam, Doctor CULLEN, ut antea dixi, hoc idem censet. Hoc quidem manifestum ex his duabus rebus: Primum, quod in iis locis quibus non miasma oritur, Endemicæ prorsus ignotæ sunt: Deinde, ubicunque miasma generatur, ibi incolæ Intermittentibus semper laborant. Alias causas excitantes huic morbo auctores attribuerunt; at eas inter causas prædisponentes enumerari mallem, ut jamjam ostendere conabor. An Intermittentes miasmate humano sive contagio oriuntur, medici inter se longe differunt; verisimile tamen, ut, in omnibus casibus qui ex contagio ortum traxisse putantur, ægri aliquo occulto modo venenum ipsum hausissent. Pro certo enim credimus miasma ex paludibus oriens sæpe in corpore occulte manere, donec post longum tempus certis causis incendatur ac evolutum sit; et ita de vera causa multi decipi possunt.

Nunc de NATURA hujus funesti miasmatis, atque de rebus quæ ortui ejus favent, viresque augent, breviter dicam. Natura ejus quidem nequaquam bene nota. Plerumque tamen oritur ex locis palustribus, ardente sub sole jacentibus, quod mala ventilatio semper perniciósius reddit. Miasma originem trahere ex humiditate sola nullo modo credi potest, quia vapor e pura aqua oriens hoc veneno nunquam imbutus, nec Intermittentes homines afficiunt qui fluminum ripas incolunt. Nautæ, et ii qui prope mare vitam agunt, nunquam hoc morbo laborant, quamobrem nullum miasma salsa ex aqua oriri manifestum. At his locis supra dictis sine ullo dubio perpetua exhalatio fit. Neque putridus vapor ex cæsis animalibus oriens hujus morbi est causa; Anatomici enim, atque alii fabri qui quotidie inter talem vaporem occupantur, non hoc morbo afficiuntur. Ex herbis caducis et talibus rebus solis, miasma non generatur, quoniam multi incolæ Caledoniæ Hiberniæque, iis in locis tali vapori maxime expositis viventes, optima valetudine fruuntur. Cum autem cadavera, herbæ caducæ, similiaque in paludibus una jacent, et nimio calori solis exposita, ibi et loca circum, miasma sese dif-

fundit; ac per æstivos menses Intermittentes sæpius prævalent.

Hactenus de palustris miasmatis natura et ortu. Et si aliquis roget, Quid miasma paludum est? ita respondemus, "Miasma aliquid malum et vitiosum effluvium, ex certarum rerum concursu generatum, quod humano corpori admotum Febrem Intermittentem plerumque gignit." Si quis iterum poscit, Quid sit miasma, et quo modo corpus afficiat? idem respondemus, ac naturam ipsius prorsus ignorare libenter fatemur.

Nunc de MODO OPERANDI hujus miasmatis pauca dicemus. De hoc autem, ut supra memoravi, medici inter se multum differunt. Quidam enim id afficere sanguinem, et vitiari alii ventriculum ac intestina putant; alii actionem ejus sedativam contendunt; dum multi hoc negant, at contra primum stimulare, deinde, continua actione, irritabilitatem minuendo, debilitatem afferre, censent. Quum sæpe (quod melius in calidis regionibus percipitur, et cujus exempla quædam præstantia profert JACOBUS PRINGLE, Armigerus,) excitationis signa accessionem comitentur, miasmatis actionem

primariam stimulantem puto; et debilitatem adesse citissime post accessionem, et per morbum durare, satis constat, ex languido ac debili corporis statu, et etiam remediis adhibitis, quæ semper stimulantia aut tonica sunt. Hinc statum debilitatis proximam hujus febris esse causam censeo. Hæc hypothesis de proxima causa Intermittentium vera esse videtur; et plurima phænomena morbi hac quam ulla alia hypothesi facilius explicari possunt. Argumenta pro hac hæc sunt: Primum, quod miasma corpus stimulare videtur, et paulatim debilitatem adfert: Deinde, quod initio, Intermittentes sæpe inflammatoriæ, ex quo credere oportet excitantem causam stimulum secutum sedativa actione: Postremo, quod medici, et empirici qui sæpe hunc morbum repellunt, fere semper stimulantibus aut tonicis remediis utuntur.

Hanc hypothesin defendere, atque singula phænomena eâdem exponere hujus morbi, proprio Marte non conabor. Tamen quædam cognitione dignissima, quæ diversis Intermittentium typis occurrunt, et ea quasi eorum characteristica facilius explicari possunt; atque ad hanc rem, sequentem sectionem ex Doctore Cullen proferam: "With

" respect to the type of Intermittents, it is to be " observed, that the quartan, while it has the long- " est interval, has at the same time the longest and " most violent cold stage, but, upon the whole, the " shortest paroxysm: That the tertian having a " shorter interval than the quartan, has at the same " time a shorter and less violent cold stage, but a " longer paroxysm: And, lastly, that the quoti- " dian, with the shortest interval, has least of a " cold stage, but, upon the whole, the longest pa- " roxysm." Nunc, si mihi concedatur, quod quidem dabitur, diminutam irritabilitatem, aut, aliis verbis, debilitatem proximam hujus morbi esse causam, tum puto omnia phænomena plerumque observata per eandem facile explicanda fore. Ratio ipsa homines docet, cum corpus in hoc statu sit, actionem cordis et arteriarum diminutam, et satis copiæ sanguinis ad superficiem et corporis partes extremas non amplius posse venire; quo in partibus interioribus corporis collecto, hinc symptomata frigidi stadii oriuntur, præsertim ea cutis species vulgo dicta " cutis anserina," pulsus debilis, &c. &c. Sanguis circum cor vasaque majora congestus ea ad actionem auctam stimulabit, et citius seriusve eum

sanguinem maxima vi ac stimulo aucto propelli, ad partes exteriores necesse est; unde calidum primum, deinde sudatorium stadium oritur. Experiamus quoque hac ratione symptomata orta ex variis typis ejus morbi explicare. Quartana longissimo et vehementissimo stadio frigoris nota est, tamen ejus paroxysmus brevissimus, quia magna copia sanguinis circum cor ac arterias in primo stadio congesta, ad auctam actionem stimulat, ac secundum stadium brevius reddit. At tertianæ, cui stadium frigoris brevius atque lenius, paroxysmus longior, eo quod sanguis in partibus corporis interioribus parum congestus circulationis fontem haud magnopere stimulat, quæ ideo non tam cito æqualis redditur. Eodem modo quotidiana, cui paroxysmus longissimus, stadium frigoris brevissimum habet.

RATIO MEDENDI.

In curationem Intermittentium tractando, primum remedia adhibita ad accessionem primi stadii resistendam atque supprimendam dicemus: De-

inde, qua ratione paroxysmus semel formatus brevior reddendus est: Postremo, quomodo morbus per apyrexiam tractandus.

Primo, Multa remedia utenda ad primum stadium reprimendum, quæ si feliciter usurpantur, paroxysmus non redit, et æger sanatus. Dosis opii sæpe hoc efficit, et pro hac re paulo ante paroxysmi reditum adhiberi debet. Una dosis tamen non semper sufficit. Igitur melius est duas circiter horas ante paroxysmi accessionem, haustum ex tinct. opii g^{t} xx dare, omni semihora repetendum, ad vicem tertiam vel quartam; hoc enim modo vis opii stimulans certius agit, quam si magna dosis tantum semel datur. Idem tamen non semper faciendum, præsertim cum initio morbi diathesis phlogistica apparet; melius ac tutius, cum hæc diathesis est, non adhibere opium, donec omnia signa inflammatoria subsederunt, quod tum adhibendum.

Emeticis multi utuntur. Hoc non multum probo, propter ingratam operationem et debilitatem quam sæpe ægro afferunt, et quia diaphoresin inducendo multum operari videntur, quæ alio modo leniore effici potest. Interdum his tuto jureque utuntur ad febris initium, tum enim ex ventriculo acrida

ac cruda expellunt, quæ, si non expulsa, majori irritamento corpori essent. Sæpissime autem, præsertim in calidis regionibus, ingens ventriculi irritabilitas gravissimum symptoma, contra quod pugnandum; et quum hoc symptoma emetica augeant, hæc remedia adversa sunt.

Remedia hujus classis a nonnullis, et inter alios a Doctore CULLEN adhibita ac laudata, ut nauseam perpetuam inducant; at etiamsi morbum paulisper removent, æger propter debilitatem semper pronus febri, et morbus sæpe recurrit.

Sudorifica multum et merito laudata, ac quidem sæpe stadii primi accessionem arcent. Ut ante paroxysmi accessionem sudorem plenum productum post reditum solitum stadii primi inducant, adhiberi debent. Omnibus ex sudorificis, pulverem ipecacuanhæ cum opio, propter vires stimulantes, maxime probo, nisi fortasse cum inflammationis signa quædam appareant. Multa alia sudorifica, præter hæc in materia medica reperta, adhibita sunt; veluti exercitatio vehemens, vel ulla alia sudorem facientia, aliquid temporis productum post paroxysmi accessionem. Hoc remedio adhibito, Febrem Intermittentem ipse ego sanatam vidi.

Affusio frigida paululum ante stadii frigidi accessionem sæpe ægroto benefacit; et medicus se hoc remedio magno successu in calidis terris usum, ad paroxysmum prævertendum, mihi nuper memoravit.

Hæc prima et optima remedia, quibus ad paroxysmum prævertendum uti debemus; ac si paroxysmus adsit eadem fere utenda. Medici est, frigidum stadium omnibus modis brevius reddere, et stadia caloris et sudoris quamprimum promovere: ad quod citius efficiendum, æger in lectu ponendus est, et corpus, præsertim ejus partes extremæ, calore fovendum, et quæquam remedia supra dicta adhibenda. Si sit vomitus aut nausea aliquando promovendus, secundum causam ejus; si enim ex aliquo acrido cibo in ventriculo oriatur, vomitum leni emetico promovemus; sin ex irritatione, haustu effervescente, opio, aut aliis remediis probatis, lenire conamur.

Venæsectio frigido in stadio nuper laudata, quod nunquam tentatum vidi. Quidam medicus nuper mihi dixit se in calidis regionibus sæpe morbum ita tractare cum æger habitus plethorici sit; aliter ille hoc remedium non probare. Ille idem sentit

morbum initio esse Remittentem potius quam Intermittentem, et fere semper aliquam congestionem adesse depletione removendam ; at si paroxysmus et intermissio regulares, cinchonam vel arsenicum morbum posse removere.

In stadio calido, si signa inflammationis adsint, hæc omnibus modis supprimenda. Ad quod efficiendum, venæsectio sæpe necessaria. At maximam debilitatem hunc morbum comitari meminisse oportet ; itaque tantum sanguinis mittendum, quantum violentia symptomatum postulare videtur ; et pro venæsectione, alia remedia, veluti missio sanguinis per hirudines vel cucurbitulos, diaphoretica, purgativa, epispastica vel talia utenda sunt.

Sudor bene promovendus diaphoreticis, et copiam tepidi liquoris bibendo, etiam balneo tepido vel aspersione si corpus sit aridum.

In stadio sudatorio medico haud multum opus est. Æger tamen monendus ne sudorem citius reprimat, neque frigori se objiciat, sed per sudorem se volutum in calido panno teneat.

Si remedia per paroxysmum adhibita morbum reprimunt, sæpe nullis aliis remediis, nisi diæta et regimine, opus erit. Diæta levis nutriensque esse

debet, cibus non magna copia, sed sæpe; paulu-lum vini vel cerevisiæ. Æger sub dio se exerceat in serena tempestate; ac si alicui negotio modice animum det, hæc omnia valetudinem maxime pro-movebunt.

Sæpissime tamen hæc remedia prorsus inutilia erunt; deinde alia tentanda, quæ ars invenit et usus probavit, nempe, cinchona, arsenicum, ac varia aromatica, tonica et amara, quarum cinchona per plurimos annos maxime usurpata est. Atqui pri-usquam cinchona data, hæc observanda sunt,—si alvus adstricta, cathartico opus erit; si nausea vel vomitus initio morbi, emeticum utile erit; si aliqua irritatio generalis, aut si somnus difficilis, opiatum vel per se vel cinchona mixtum adhibendum sit.

Cinchona variis formis adhiberi potest, at in for-ma pulveris longe efficacissima. Cum autem hoc modo data, non cum ventriculo consentanea, va-riis aromaticis mixta sit, veluti canella alba, cala-mo aromatico, lauro cinnamomi. Quibusdam in casibus, ex ventriculi irritabilitate, cinchona satis ampla ad morbum medendum non adhiberi potest; nuper tamen cinchonæ præparationem, Quininæ Sulphatem, adepti sumus, quæ fere semper cum

ventriculo consentanea, et sæpissime utilissima est. Medici multum inter se contenderunt utrum cinchona per stadium sudoris utenda, an per apyrexiam post paroxysmum ; quod cum specie morbi variat. Si apyrexia brevis sit, ante paroxysmi proximi accessionem non solum per apyrexiam adhiberi debet, sed per stadium sudoris danda quoque ; sin apyrexia longa, non necesse erit. Certe quidem per apyrexiam copia cinchonae curationem maxime properat ; sed interdum cinchona morbus non reprimendus, et ad extremum arsenico cedit.

Multi autem contra usum arsenici scripserunt ; at certe in hoc errant ; et quid esse absurdius potest, quam medicus id remedium damnans, quod nunquam tentasse videtur ? De arsenico quidam sic dicit : "It cannot be deemed a proper remedy "for an intermittent fever, whilst an intermittent "fever is less formidable than arsenic *." Alius hoc modo, "A remedy worse than the disease, "and often productive of a train of the most a-"larming symptoms †." At, contra, plus fiduciae

---

* Sir G. Baker. † Dr Lind.

in iis qui saepe hoc remedio usi sunt. Et hic praefari mihi licet, Patrem meum, per novem annos captivum in Gallia, per quemque annum ibi sub cura habuisse complurimos Intermittentibus laborantes, omnes quos, praeter duos, per solutionem arsenicalem curavit. Cinchona his duobus successu administrata.

Amara et tonica per semet raro totum morbum removent, nisi paroxysmi vel violentia eorum alio modo repressi sunt. Tamen sæpe debilitatem quæ Intermittentes comitatur diminuunt, ac corpus firmando morbus raro iterum recurrit.

Aliud remedium est, siquidem remedium dici potest, quod interdum cunctis aliis longe antecellit, scilicet, vis humanæ imaginationis. Plurima remedia quidem præscripta ab indoctis, empiricisque, hinc omnem vim et potentiam accipiunt. Quidam incantationibus curationem quærunt; alii telis aranearum devorandis; multi, mirabile dictu! cupidi suam urinam bibunt. Et quum haec ita sint, quanto studio, quanta cura in causas hujus, et omnium quidem morborum investigando, et remedia certiora explorando, omnes vires animumque conferre debemus! Quid enim praeclarius,

Deove similius esse potest, quam dolores brevis ævi leniores facere, et vitam humanam producere!

FINIS.





